

men consuetæ evacuationis suppressio aliam postulat aperiendam, & quidem menses obstructi *venam pedum*; hæmorrhoides suppressæ *sanguisugas* expetunt. *Mercurial. cit. loc. Mercatus lib. 4. de curat. morb. intern. cap. 18.*

*Quidam* venam in latere oppositò secare jubent. *Arabes* *salvatellam* aperiunt, maximeque commendant.

*Conciliator differentia* 206. docet, podagrizanti in dextrò pede convenire phlebotomiam è manu sinistra, & contrà.

E directò tamen *Rhases ad Almanforem* 9. loc. cit. secandam esse docet in dextra manu, si dexter; in sinistra, si sinister pes laboret. Eandem sententiã fovet *Philagrius*, dùm cum maximò fructu eam secasse affirmat, *inquiens*: memini, in quo humores omnes æqualiter & imprimis sanguis, abundabant, bis eidem sanguinem detractum. Cùm enim dexter pes fluxione tentaretur, venã dextræ manus incisã liberatus fuit; tertio die post, alterum crus infestabat fluxio, vena sinistræ manus aperta illicò eum ab omni molestia liberavit.

QUANTITAS sanguinis semper respondeat viribus ægrorantium.

Venæsectionis defectum refarcire possunt CUCURBITULAE SCARIFICATEE evacuantes sanguinem ex venã & arteriã simul. Scarificatur locus podagricus ipsa pleniluniã horã, sanguis accuratè collectus in tabulam vitream inditus, defoditur in formicarum acervum. Hòc devoratò, illicò cessat dolor.

VESICANTIA serum evacuare, topicosque interdum elicere creduntur.

INSENSIBILITER discutiunt USTIO, cuius *Hippocr.* 6. aph. 60 meminit; hancque commendat *Aëtius cit. loc. cap. 25.* & FRICTIONES, quæ utilitate suã haud carent, dùm aliquid ad revulsionem & discussionem humorum conferre videntur. Ustioni hoc nostro seculo locus non est.

#### CAPUT XV

*pharmaca suppeditat evacuantia.*

**P**HARMACIA primò locò porrigit LENIENTIA & leviter alvum subducentia & emollientia, quibus humores ad exitum disponere possumus; IN